



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiæ, 1627**

Romanorvm Pontificvm Continvata Svccessio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**



SÆCVLVM  
SECVNDVMETHNI-  
CO-CHRISTIANIS-  
SIMVM.

ROMANORVM PONTIFICVM CON-  
TINVATA SVCCESIO.

5. S.  LEMENS *anno 93.* sur-  
rogatur Cleto, Petri  
Pauliq; discipulus, cum

innumeros cōuertisset  
Ecclesie præses inclytus, accusatus à  
Traiano deportatur exul in Cherson-  
sum, *an. 100.* Vbi in ergastulo positus  
fontē producēs precib. plurimos Chri-  
sto lucrifecit, ecclesiasq; construxit.

XL. Quo efferatus Traianus, cæsà  
Christianorum turbâ maximâ, Papam  
in altum abiecit. Orâtibus vero cæteris  
Fidelibus, mare ad tria fere milliaria re-  
cedens, *an. 102.* ijs aditum aperuit: vbi  
in marmoreo sarcophago sacrum eius  
corpus repertū est: Simul reuelatū disci-  
pulis, fore quotannis recessurū fretū i-

pso septiduo; quò eius festiuitas ibi per-  
agatur: proinde nec emouere sacrum  
corpus attentarent. Nec factum secus:  
teste S. Ephràm Episcopo Chersonis.  
Sedit annos 9. men. 4. Constitutiones  
Clementis reddidimus supra sæculo:  
in epist. *anno 112.*

6. S. ANACLETVS, cum sedisset an-  
nos 9. men. 3. suo Traiano coronatur  
martyrio.

Trium Sancti Petri Sedium Patri-  
archalium principem esse Romanam  
affirmat.

DECREVIT in Epist. 1. Sacerdotes,  
quando Domino sacrificant, non solum  
hoc agere debent; sed testes secum ha-  
beant, in sacris Deo locis; Episcopus  
vero

vero plures, quam alius Sacerdos. Per-  
 acta Consecratione, omnes ministri  
 communicent. Sic Apostoli statuerunt,  
 et S. Romana tenet Ecclesia. *Ibidem*: si  
 difficiliore ortæ fuerint quæstiones,  
 ad Sedem Apostolicam, (si appellatum  
 fuerit,) referantur. Quoniam Apostoli  
 hoc statuerunt, iussu Domini, Tu es  
 Petrus. *In epist. 2.* Initium Sacerdotij  
 fuit Aaron; licet Melchisedech & alij  
 spontanea voluntate, non Sacerdotali  
 autoritate obtulerint; Filij eius Presby-  
 terorum in Nouo Testamento demon-  
 strantur figuram. §. 12. c. *In nouo.* Post  
 Christum à Petro Sacerdotalis cœpit  
 ordo: & ipsum cæteri Apostoli Princi-  
 pem eorum esse voluerunt.

Filius est æqualis Patri. *In Epist. 3.* Ro-  
 mana Ecclesia, non ab Apostolo, sed ab  
 ipso Domino Primatum obtinuit super  
 vniuersas ecclesias. *Ibid.* Petrus & Pau-  
 lus S. Romanam Ecclesiam sua morte  
 consecrarunt.

7. S. EVARISTVS, natione Græcus,  
 TITVLOS in Ecclesiam infert. Sicut en-  
 nim Fiscales nomen aut imaginem Re-  
 gis in velo prætendebant ædibus, immu-  
 nitatis causa: ita factum ædibus, quæ in  
 templorum vsum vertebantur. Tales  
 Papa hic septem Titulos in Vrbe designa-  
 uit VII. Presbyteris: quos demum S.  
 Syluester CARDINALES nominauit,  
 qui inter alia, curam gererent paupe-  
 rum.

Vitam officiumque contummat  
 martyrio sub Adriano, anno 121. cum se-  
 disset annos 9. m. 3.

DECRETA Euaristi. *Epist. I. ad Afri-  
 anos.*

Non fit Coniugium fidelium, nisi

ab his qui super ipsam sceminam domi-  
 nationem habent. Sacerdotaliter, vt  
 mos est, benedicatur, & biduo vel ora-  
 tionibus vacent, & castitatem custodi-  
 ant; vt bonæ proles generentur, & Do-  
 mino in actibus placeant. Aliter præ-  
 sumpta, non coniugia, sed adulteria po-  
 tius esse non dubitate. *In epist. 2.* Episco-  
 pus Ecclesiam suam non dimittat; nec  
 alteri se ambitus causa coniungar.

8. S. ALEXANDER succedit in &  
 Pontificatu, an. 121. & martyrio sub A-  
 drianò, anno 132. cum sedisset annos 10.  
 m. 5. Scripto constituit traditum aqua  
 misceri calicem. Item *AQUAM Iustra-*  
*lem* cum sale benedici, ad vsum domi-  
 cuiusque, & in templis: sicut panes Chri-  
 stus; oleum Apostoli, Matthæus aquam  
 benedixit, teste Clem. Const. l. 8. ca. 35.  
 ad diaboli præstigias dissoluedas.

DECRETA Alexandri I. in episto-  
 la ad omnes Orthodoxos: *In Sacrificio*  
*Missarum panis tantum; & vinum aqua*  
*mixtum offeratur.*

*Quia utrumque ex latere eius in passione*  
*sua profluxisse legitur.*

II. *Ibidem.* Aquam sale conspersam po-  
 pulis benedicimus; vt eâ cuncti aspersi san-  
 ctificentur ac purificentur: Quod & omni-  
 bus sacerdotib. faciendum esse mandamus.

*Nam si cinis vitule, aspersus sanguine,*  
*populum sanctificabat; multo magis aqua*  
*sale aspersa, diuinis que precibus sacrata.*

*Et si sale asperso per Heliseum Prophe-*  
*tam sterilitas aquæ sanata est; quanto magis*  
*diuinis precibus sacrata sterilitatem re-*  
*rum auferet humanarum, & insidias dia-*  
*boli auertet, & coinquinos sanctifica-*  
*bit.*

9. S.

9. S. SIXTVS Pontificatum iniit anno 132. Martyrio vitam finiuit anno 142.

Constituit, vt Sacerdote Missam inchoante, populus cantaret *Sanctus*: Item sacra Vasa tangi solum ab sacerdotibus: *FORMATARVM* ab Papa Rom. dandarum vsum instituit, quas exhibeant in Episcopatum seu parochiam ingressuri: quo certior constaret communio Fidei eiusdem contra hæreticos.

Dicebantur etiam *litteræ Communicatorie, Canonice, Pacificæ, &c.* Titulum *Vniuersalis Episcopi Apostolicæ Ecclesiæ* usurpauit primus, S. Victor se titulauit, *Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum*: ita Tert. de pudic. c. 1. Sedit an. 10. vno mēse min.

10. S. TELESOPHVS Græcus, ex Anachoreta creatus Papa anno 142. subit martyrium sub Antonino, anno 154. sedit annos 11. M. 9. triduo minus.

QVADRAGESIMALE Ieiunium cum varie ieiunaretur, sanciuit ieiunari VII. hebdomadis ante pascha: Item nocte Natali media Missam, duasque porro celebrari: Adijci Missæ *Gloria in excelsis*. Hæresin damnauit Valentinianam.

11. S. HYGIVS ex Atheniensi philosopho Papa anno 154. fit martyr anno 158. sedit annis 4. minus 2. diebus.

Hic CLERVM ordinauit in gradus ex apostolica Traditione: Patrinum & matrinam baptismo adhibuit.

12. S. PIVS. I. Italus fit Papa, anno 158. Iudaizantes in celebrando PASCHATE coercuit, mandato, diem XV. esse paschalem debere, non XIV. Sic apparet ei Angelus iusserat: teste *Hermetico lib. Pastoris*. Suum sibi vitæ exitum reuelatum scribit S. Iusto Viennensi Episcopo anno 164. quo purpuratur Martyrio,

cum sedisset annis 9. M. 6. minus diebus tribus.

Sanciuit hæreticum ex Iudæis venientem, rebaptizari: quod formulam baptisimi deprauarent Cherinthiani. Ite, Prædia sacris vltibus dicata, minime alienari debere: Blasphemum excommunicari. Idem in epistola ad Italos scribit: *Petistis, vt omnes vobis retrotemporum Consuetudines seruarentur, quæ à Petri Apostolorum Principis Ordinationum initijs vetustas longa seruaui. Et quidem huius Consuetudinem laudamus: quæ tamen contra Fidem Catholicam nil usurpare dignisuntur.*

13. S. ANICETVS, natione Syrus, sedit anno 164. cui disleuans primum S. Polycarpus, in Asia Episcopus Smirnenensis demum consensus in Paschate XV. die celebrando. Decessit martyrio, anno, 175. cum sedisset annos 9. minus mensibus tribus, diebusq; 7. Sanciuit, ne Clericus comam nutret, sed *Rapam pherscam* gereret in vertice.

14. S. SOTER è Campania subigitur anno 175. Coronatur Martyrio anno 179. sedit annos 5. minus 12. dieb. Quia Montanistarum femina Sacra tractabansideo S. Soter vetuit, ne monacha vel Diaconissa pallam attingeret, aut Incensum poneret in Ecclesia. Ieiunio sacrificandum, & præsentem alio Sacerdote. Item: *Iuramentum incautum, & obsecrationem in peiorem vergat exitum; salubris consilio mutandum nouerimus.* Item, In Cena Domini omnibus communicandum, exceptis excommunicatis.

15. S. ELEVTHERVS Neapolitanus, anno 179. Papa sedit annos 15. Dies, 23. obiit in martyrio, nascitur, an. 194. Martyrem

tyrem Ecclesia Rom. appellat, quod & Confessores sic appellaret. Definit: Omnes esse in se bonas esse.

16. S. VICTOR continuo succedit anno 194. Hæresiarcham Theodorum excommunicat anno 196. fingentem esse Christum nudum hominem, solâ iustitiæ prærogatiuâ præ cæteris excellentiorem. Negarat is in patria Bizantij Christum; ad probû sibi exprobratum fugit Romam: & hic obiectantibus aiebat, *Hominem, non Deum, negavi.* Vide infra.

Anno 198. Orta per Asiam controversia de Paschali die, in Concilium Episcopi coeunt, Præsidente Theophilo Cæsariensi; licentiam conferente S. Victore. Hic Patres docebant mundum esse conditum in Vere, lunâ plenâ, in æquinoctio, inque Dominica, propter eiusdem benedictiones: Quia in ea

1. Tenebræ sunt remotæ:

2. Populus eductus Ægypto:

3. Manna datum primo:

4. Iussitque Moses; ut esset dies primus & vltimus obseruatus:

5. *Hæc dies, quam fecit Dominus Resurgens;* Ergo die Dominica, Luna XV. celebrandum est Pascha. At è contra Asiani luna XIV. celebrandum contendebant Pascha; quod ita inde ab Apostolis accepissent.

Verum quia aliarum omnium Ecclesiarum Traditio docebatur contra Iudizantes in Asia plerosque, idcirco hi causa ceciderunt, abstenti facti ab S. Victore ut *Quartodecimani*; Idque propter hæreticos pertinaciter Ecclesiæ in eo contradicentes; Etsi per diu in Schismate eo perstiterint Asiani, accedentibus ad eos Nouatianis:

Sedit itaque S. Victor annis 9. & aliquot mensès.